

Bono animo fac sis, Sostrata, et ȳstam quod potes  
 fac consolere. ego Micionem, si apūd forumst,  
 conveniam atque ut res gestast narrabo ordine :  
 sī est facturus ut sit officium suom,  
 515 faciat ; sin aliter de hac re est ei(u)s sententia,  
 respondeat mi, ut quid agam quam primum sciam.

5

## ACTVS IV

CTESIPHO SYRVS

i

*CT.* Ain patrem hinc abisse rus ? *SY.* iamdudum.

*CT.* dic sodes. *SY.* apūd villamst :  
 nunc quom maxume operis aliquid facere credo. *CT.*  
 utinam quidem !

quod cum salute ei(u)s fiat, ita se defetigarit velim  
 520 ut triduo hoc perpetuo prorsum e lecto nequeat surgere.  
*SY.* ita fiat, et ȳstoc siqui potis est rectiūs. *CT.* ita ; nam 5  
 hunc diem  
 misere nimi' cupio, ut coepi, perpetuom in laetitia degere.  
 et illud rus nulla alia causa tam male odi nisi quia  
 propest :  
 quod si abesset longius,  
 525 priu' nox oppressisset illi quam huc revorti posset  
 iterum.  
 nunc ubi me illi[c] non videbit, iām hūc recurret, 10  
 sat scio :